

Ad 3, dicendum, quod, si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem hujus sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

De materia istorum articulorum disputabimus statim; textus enim D. Thomæ non indiget alio commentario.

## DISPUTATIO XLV.

DE MATERIA CALICIS, SEU REMOTA, EX QUA  
CONFICITUR SANGUIS CHRISTI.

Vinum vitis est necessaria materia hujus sacramenti. — Vinum esse alteram partem materiae, ex qua hoc sacramentum confici debet, in superioribus ostensum est; nunc solum su-  
rest, ut de qualitate, seu specie ejus, et de puritate seu mistione necessaria dicamus. Quoniam vero necessitas præcepti, quæ ad hunc usum materiae pertinet, valde est conjuncta cum necessitate sacramenti, ideo de utraque dicemus, sicut in præcedentibus fecimus.

## SECTIO I.

Utrum vinum vitis, seu ex uvis expressum, sit necessaria materia hujus sacramenti.

1. Omissis erroribus, quos in superioribus satis tetigimus, primum omnium certum est, materiam hujus sacramenti, sine qua sanguis confici non potest, esse vinum vitis. In hanc conclusionem nulla est controversia et colligitur ex facto Christi, adjuncta Ecclesiae traditione. Quod enim Christus in hoc vino consecraverit, communis sensus et traditio est et indicatur in illo verbo: *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis*; quamvis enim diversas habeat expositiones, tamen ex illo satis colligitur, vinum esse materiae hujus sacramenti.

Christus: *Hoc facite*. Unde in Concil. Aurelian. IV, cap. 4, dicitur non esse in calice offerendum aliud, quam quod in mandatis sacratissimis Christus tradidit, quod explicans, dicit esse illud, quod ex fructu vineæ nascitur. Unde in Conc. Florent. expresse definitur, materiam esse vinum vitis, et in canone 3 Apostolorum, prohibetur offerri sicera, vel aliquid hujusmodi loco vini; et in Concilio Altisiod., cap. 9, non mustum, neque ullum aliud poculum, extra vinum. Et ratio reddi potest, quia solum hoc est simpliciter vinum, ut patet ex communi usu omnium, præsertim Scripturæ, Gen., cap. 9: *Noe bibit vinum*, etc. Lucae septimo: *Venit filius homi-*

*nis, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini*. Ponderat enim Cyprianus, epist. 63, specialiter ea loca, in quibus adumbratur hoc sacramentum, ut de oblatione panis et vini Melchisedech, Gen. 14, ubi nomine vini, sine dubio, intelligitur vinum vitis. Ultimo sunt congruentiæ. Prima quia hoc vinum, eo quod sit calidum et humidum, et aptum ad nutriendum, et augendum sanguinem, est etiam aptum ad significandum sanguinem Christi, qui propterea nomine vini interdum significatur in Scriptura, Gen. 49: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum*; et Esaia 63: *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torc ulari*? Secunda, quia, ut inquit Clem. Alex., 2 Pædag., c. 2, vinum est simul nutrimentum et medicamentum, et lætificat cor hominis, et ideo aptissimum est ad effectum hujus sacramenti significandum.

2. Objectio. — Responsio. — Dices: hoc vinum potest esse multiplex et specie diversum, ut significat Aristot., 4 Meteor., cap. 10, et patet in vino albo et nigro. Respondetur, Aristotelem exponi posse de diversitate accidentali, ut volunt Richard., dist. 11, art. 3, quæst. 5, ad 4; et Soto, dist. 9, q. 1, art. 3; et est verisimile, quia sola illa differentia coloris non satis indicat substantialem diversitatem, cum alias sit maxima in effectibus et aliis proprietatibus similitudo, ut inter homines etiam videre licet. Secundo, etiamsi sit substantialis et essentialis diversitas, ad rem theologiam non refert; satis est, si absolute et simpliciter vinum sit; secus vero est de aliis vinis pomorum, malorum granatorum et similibus, quæ non solum specie differunt a vino vitis, sed quodammodo etiam genere, et non sunt vina simpliciter, sed secundum quid; et idem iudicium est de omnibus aliis

liquoribus, qui ex herbis aut aliis irrietas conficiuntur.

3. Succus uvarum ut sit materia Eucharistia esse debet maturus. — Secundo dicendum est, ut succus, seu liquor uvarum sit sufficiens materia, necessarium esse, ut sit maturus et ex uvis expressus, atque in sua substantia permanens. Ratio est, quia hæc sunt necessaria, ut illud sit vinum simpliciter.

4. Primum corollarium. — Unde fit primo, agrestam non esse materiam, ut D. Thom. et omnes docent, et habetur in missali Romano, in defectibus missæ, et ratio est, quia non est vinum; imo evidenter differt ab eo specie physica, quantum ex effectibus et qualitatibus

licet colligere; quidquid vero de hoc sit, satis est, non esse materiam potabilem, per modum vini, sicut supra proportionaliter de massa dicebamus.

5. Secundum corollarium. — Succus uvarum non potest intra uvas consecrari. — Unde fit secundo, succum uvarum, prius quam exprimatur, non esse materiam, nec posse in ipsis uvis consecrari; ita Cajet. et Soto, qui hoc modo exponunt D. Thom., et idem tenet Richard., dist. 11, art. 2, quæst. 4 et 3; ratio esse potest, quia ille succus, quamdiu est in uva, est continuus aliis partibus, unde videtur specie differre a musto jam expresso. Sed hoc satis incertum est, tum quia quidquid sit de continuatione, tamen sicut sanguis est in venis, ita idem ille liquor, qui postea est extra vitem, videtur prius formaliter contineri intra illam; cujus signum est, quia licet non exprimatur, nec comprimatur uva, sed tantum pungatur seu dividatur folliculus uvæ, statim distillat illum liquorem, qui jam tunc erit sufficiens materia consecrationis. Alia ergo ratio reddi potest, quia quamdiu liquor est contentus in uva, non est per se præsens; unde si dicatur, *hoc est*, vel, *hic est sanguis*, in rigore per pronomen illud, non significabitur liquor, sed uva; sed hæc etiam est difficilis ratio, quia si mustum includatur in vase undique clauso, nihilominus est materia consecrabilis, et mediante continente est sufficienter præsens, et potest per pronomen hoc designari. Responderi tamen posset, illud jam esse per se sensibile, et per accidens esse occultum, et similiter jam esse totum separatum, quod propriissime signari potest per modum totius, licet in alio contineatur. At vero liquor clausus in uva semper est per modum partis, et per se latens, et quasi insensibilis. Tertia ratio est, quia ille liquor pro illo statim non est in forma potabili, et ideo

nec est vinum, nec materia potus, quod est necessarium in materia calicis, seu sanguinis, juxta illud: *Bibite ex hoc omnes*. Et confirmatur, quia licet mistio aquæ non sit de necessitate hujus sacramenti, tamen de necessitate materiae calicis est ut sit apta ad hanc misionem, seu ut illi possit aqua misceri; at vero liquor inclusus in uvis non est hujusmodi. Quæ ratio traditur in cap. Cum omne, de Consecratione, dist. 2, ex Julio Papa, et Concil. Brachar., et Wormacien., ubi talis consecratio prohibetur, sicut prohibita fuerat in sexta Synodo, can. 28 Trullano, et habetur in cap. Didicimus, eadem dist. Non desunt

tamen, qui ex prædicta ratione ultima, et ex dictis juribus colligant, hanc materiam esse quidem prohibitam, non tamen omnino invalidam. Hæc vero sententia nullo modo est probanda, quia revera ille humor in uvis non est materia potabilis, sed pars cibi cujusdam, et licet prædicta jura expresse non dicant, hanc materiam esse invalidam, id tamen supponunt, et ideo reprehendunt nonnullos, qui illa uti volebant ad communicandum populum. Imo in dicto canon. Trullano, non solum vera consecratio in uvis facta, sed etiam cæremoniæ quædam benedictio uvarum fieri prohibetur, aut distribui simul cum corpore Domini, quamvis permittatur, ut uvarum primitiæ in gratiarum actionem offerantur, et separatim benedicantur, et convenienti tempore distribuantur.

6. Mustum expressum ex uvis est sufficiens materia, non tamen conveniens. — Tertio sequitur, mustum ex uvis maturis expressum esse quidem in rigore sufficientem materiam, non tamen convenientem, donec sit purum et satis concoctum. Ita D. Thom. hic, et omnes; unde in cap. Cum omne crimen, de Consecr., dist. 2, dicitur, si necesse fuerit, posse botrum in calice exprimi et aqua misceri et ita confici. Ratio vero est, quia illud in substantia est vinum, licet accidentaliter non omnino perfectum, nec purum, quia nondum separatus est aqueus humor, flos et fæx, quæ per decoctionem vini secerni solent, ut late Plinius, lib. 25, a principio. Unde Aristotel., 4 Meteor., c. 10, mustum vocat vinum recens, et Isidorus, lib. 20 Etymol., c. 3, dicit, esse vinum e lacu statim sublatur. Unde in Scriptura sacra vinum solet appellari mustum, Act. 2: *Musto pleni sunt isti*; Isa. 49: *Quasi musto sanguine suo inebriabuntur*. Item ex effectu constat, quia mustum est calidum,

inebriat, et ab intrinseca ac propria vi purificatur, et concoquitur, seque ad perfectum statum reducit. Ergo signum est substantialiter esse vinum; quoad usum vero revera est materia potabilis et interdum bibitur. Ergo nihil illi deest, quod sit de substantia sacramenti, nam illa permistio vel imperfectio, quam habet ante plenam decoctionem, sufficit quidem, ut peccatum sit in illo conficere, et quidem ex suo genere grave, tum propter Ecclesiae consuetudinem, tum propter indecentiam et irreverentiam; non tamen est simpliciter contra substantiam sacramenti, quandoquidem præcipua substantia illius potus est vinum; sicut si perfectum vinum aliis rebus



miscetur, seu condiatur, dummodo substantia vini maneat, sufficiens materia erit, quamvis in illo consecrare non liceat. Referunt vero aliqui, in nonnullis Ecclesiis esse consuetudinem celebrandi aliquo die anni musto ex uvis in calice expresso. Sed mihi de tali consuetudine non constat; et si alicubi esset, corrigenda esset et tollenda; existimo tamen nullibi esse, præsertim si intelligatur solum illud mustum assumi pro materia, sed fortasse per modum cæremonie in calice habente perfectum vinum aliqua uvæ exprimuntur, quod minus habet indecentiæ, quanquam vitandum etiam sit.

7. *Objectio.* — Sed objicies, quia mustum non videtur esse materia potabilis; unde inter homines regulariter ad hunc usum non deservit. Respondetur, frequentius non bibi propter nimiam fortitudinem et impuritatem, per se tamen aptum esse ad potum.

8. *Dubium.* — *Solutio.* — Hic vero dubitari potest de illo vino, quod dicitur lora, Hispanè aguapis, quia illud non exprimitur ex uvis, sed postquam jam uvæ sunt expressæ, illis miscetur aliqua quantitas aquæ, ex qua mistione fit hujusmodi vinum, unde non videtur habere substantiam vini, sed aliquam ejus similitudinem, vel qualitatem. Atque ideo Plinius, lib. 4, c. 40, dicit non appellari jure vinum; et ita est revera frequentius loquendo, hanc non esse materiam; non potest autem hoc generaliter definiri, quia variis modis fit hujusmodi lora, ut ibidem Plin. refert, sed judicandum de illa erit juxta majorem, vel minorem expressionem uvarum et quantitatem aquæ, ex quarum rerum mistione hic liquor fit, ut dixi; semper tamen erit grave sacrilegium in hac materia conficere, propter dubium et irreverentiam.

9. *Acetum non est materia Eucharistiæ.* — Quarto ex dictis concluditur, acetum non esse materiam hujus sacramenti, quia fit ex corruptione substantiali vini, ut ex effectibus colligi potest, et quia non potest iterum in speciem vini redire; et ideo Aristotel., 8 Metaph., cap. 5, tex. 14, acetum comparat cadaveri, et hæc est sententia S. Thomæ et Scholasticorum fere omnium, et habetur in Missali Romano. Contrarium tamen sentit Glossa, de Consecr., dist. 2, cap. 2, et indicat Innocentius, lib. 4, cap. 32, et favet Isidorus, lib. 20 Etymol., cap. 3, ubi acetum numerat inter species vini. Sed si hæc sententia intelligatur proprie de aceto, omnino est falsa et improbabilis; si vero exponatur cum D. Thom.

de vino acido seu acescente, quod nondum formam substantialem amisit, illud sufficiens esset materia. Quamvis grave peccatum interdum possit esse in eo conficere, pro ratione dubii vel irreverentiæ, ut recte dicit D. Thom., et Alens., quæst. 32, memb. 8. Et per hæc judicandum est de sapa, quæ non est vinum revera, cujus signum, inquit Aristotel., 4 Meteor., cap. 9 et 10, est, quia non inebriat, ubi illam vocat vinum passum seu coctum. Adde proprie non esse materiam potabilem, sed potius per modum cibi comestibilem. Denique ex his judicandum etiam est de quocumque alio vino corrupto seu cocto; semper enim erit iniquum in hujusmodi materia consecrare. An vero sit nulla consecratio, ex signis corruptionis judicandum est. Et idem judicium est de omni alio vino, de cujus corruptione dubitari possit, propter nimiam aquæ vel alterius rei mistionem.

10. *Vinum congelatum non esse materiam sacramenti, qui teneant.* — Solum dicendum superest de vino congelato, an sufficiens materia sit. Aliqui enim negant, ut Armilla, verbo Euchar., num. 49; Ledesma, quæst. 15, art. 5, dub. 4; et Alanus, lib. 4 de Euchar., cap. 11. Quam sententiam nonnulli moderni sequuntur, et duobus modis fundari potest. Primo, quia per hujusmodi congelationem vinum substantialiter corrumpitur, cujus signum est, quia perdit calorem, saporem, et similes qualitates; et juxta hoc fundamentum dicendum consequenter est, si vinum consecratum congelatur, desinere ibi esse sanguinem Christi; et si vinum congelatum postea liquefiat, non esse sufficientem materiam, quia cum corruptum fuerit, non poterit per solam liquefactionem redire. In quo certe non loquitur consequenter Alanus dicens, esse quidem sacrilegium in illo consecrare, quamvis sit verum vinum. Alio modo potest defendi hæc sententia dicendo, in vino congelato manere quidem vini substantiam, et ideo si liquefiat, esse sufficientem materiam; tamen dum congelatum est, non esse aptum consecrationi, quia non habet formam et rationem potus; sicut gelu aquæ, licet substantialiter aqua sit, non tamen potest esse materia baptismi, quia non est aptum ad lavandum. Quid vero juxta hoc fundamentum dicendum esset de speciebus post consecrationem congelatis, satis incertum est. Difficile enim est negare permanere ibi Christum, tum quia tamdiu manet Christus sub speciebus, quamdiu potest conservari substantia panis et vini; tum etiam

quia, si postea liquefiat, ibi aderit Christus. In contrarium vero est, quia si sub illis speciebus potest Christus manere, cur non poterit etiam consecrari?

11. Secunda sententia affirmat, esse materiam; tenet Sylvest., Eucharistia, 2, q. 40; Angel., verbo Missa, num. 43; Soto, dist. 9, quæst. 4, art. 5. Et hæc sententia mihi magis probatur; ut vero illam explicem, adverto, aliud esse loqui de vino jam consecrato et postea congelato, vel de vino congelato ante consecrationem, et rursus illud considerari potest, vel in illo statu, vel si iterum liquefiat.

12. *Vinum consecratum, si congeletur, retinet consecrationem.* — Primo ergo fere certum existimo, vinum consecratum, etiamsi congeletur, retinere consecrationem et sanguinem Christi. Hoc videtur supponi in Missali Romano, in defectibus missæ, ubi dicitur, si contingat, in calice vinum consecratum congelari, debere liquefieri et consumi tanquam verum sacramentum. Ratio vero est, quia revera non est substantialiter corruptum, cujus signum est, quia si postea liquefiat, habet qualitates et effectus vini; est ergo vinum. Si autem fuisset corruptum, non posset per solam liquefactionem, ad vini naturam redire. Et confirmatur a simili, nam oleum, quod non videtur esse minus calidum, quam vinum, non corrumpitur per solam congelationem, ut eodem argumento convinci videtur. Denique nullum est majus argumentum, quo ostendatur, aquam non corrumpi congelatione. Adde, vinum, quamvis virtute sit calidum, tamen formaliter non requirere tantum calorem, præsertim, quia congelatio, non tam ex frigiditate, quam ex siccitate provenit; si ergo aqua cum non sit minus humida, quam vinum, non corrumpitur propter illam siccitatem, cur dicetur corrumpi vinum?

13. *Vinum congelatum, si liquefiat, potest consecrari.* — Et ex hoc inferitur secundo, si vinum congelatum ante consecrationem postea liquefiat, illud posse esse materiam consecrationis. Hoc censeo fere certum, ut patet ex dictis. Unde addunt auctores secundæ sententiæ nullum esse peccatum, in hujusmodi vino consecrare, quod est valde probabile, quia revera nullum est dubium. Consultius tamen existimo non consecrare in illo, si fieri potest, unde si contingat in missa invenire congelatum vinum, ante consecrationem, etiam post oblationem, optimum consilium erit mutare, et iterum efferre, ac postea consecrare.

14. *Vinum congelatum esse sufficientem materiam hujus sacramenti.* — Unde tertio concludo, hujusmodi vinum congelatum esse sufficientem materiam. Probatur (præter rationem factam inter referendam opinionem) quia illud est vinum vitis, et consequenter per se est materia potabilis; accidentarium enim est, quod sub illa dispositione potari non possit; satis vero est, quod ex se, et ab intrinseco, habet naturam et formam potabilem, ad quam facile et ab intrinseco redigi possit, in quo multum differt a massa, quæ ex se revera non est panis; proprie autem exemplum simile esset in pane jam cocto, qui præ duritie comedi non posset, nisi molle fieret aliquo modo, quia nihilominus esset materia sufficiens consecrationis, quia retinet panis substantiam, et per se manducabilis est. Et confirmatur ex differentia inter hoc sacramentum et baptismum; nam hoc non consistit in actuali usu, sed in materia consecrata, et ideo satis est, quod illa materia sit vinum, licet pro tunc non possit applicari, donec liquefiat; at vero baptismus consistit in actuali usu, et ejus materia proxima est ablutio, ad quam non potest applicari gelu, nisi aliquo modo liquefiat, et ideo donec in eam formam redigatur, in qua possit lavare, non potest ad conficiendum baptismum deservire. Adde, vinum congelatum, quamvis non omnino liquefiat, si in minutiores partes redigatur, posse aliquo modo potari et revera habere effectum potus et vini. Nihilominus tamen non credo licere hujusmodi materiam consecrare, propter dubium. Est enim contraria sententia utcumque probabilis.

## SECTIO II.

Utrum necesse sit aquam vino consecrando miscere.

1. *Prima opinio.* — Quæstio intelligi potest, de necessitate sacramenti et præcepti. Prima ergo sententia asserit, mistionem aquæ esse de necessitate sacramenti, ita ut si merum vinum quis tentet consecrare, nihil efficiat; ita refert Bernard., epist. 69, et opinatur Armachan., lib. 9 de Quæstionibus Armenorum, cap. 9. Fundamentum esse potest, quia illa materia, quam Christus instituit, est de necessitate sacramenti; sed vinum aqua mistum est necessarium ex Christi institutione; ergo est de necessitate sacramenti. Minor probatur primo, quia institutionem colligimus ex facto Christi; inde enim supra intulimus panis



et vini necessitatem ac institutionem; sed Christus confecit in vino aqua misto, ut habet antiqua Ecclesiae traditio. Jacobus in liturgia similiter inquit: *Postquam cenavit accipiens calicem et permiscens ex vino et aqua, etc.*; similia verba habet Basil. in liturg.; Clemens, lib. 8 Constit., cap. 42, alias 17; Irenaeus, lib. 4, cap. 57, ubi temperamentum calicis vocat, et lib. 5, cap. 2, vocat, calicem mistum. Theodoretus, dialog. 1, circa medium: *In mysteriorum, inquit, traditione corpus panem appellavit, et sanguinem, id quod in calice infusum et commistum erat*; idem Damascen., lib. 4, cap. 14; Hier., Marci 14; August., de Trinit., cap. 21, referens Cyprian., lib. 2, epist. 3, alias, epist. 63, cujus sane verba difficilia sunt; dicit enim, contra divinum mandatum et institutionem fieri, si aqua vino non misceatur, et infra subdit, ita non posse consecrari vinum solum, sicut neque aquam solam, sed utrumque mistum. Denique in can. 32 Trullan., et Concil. Aurelian. IV, can. 4, et Concil. African., can. 4, et Concil. Carthag. III, can. 14, praecipitur, ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mistum.

2. *Secunda sententia.* — Secunda sententia extreme contraria negat, aquam esse miscendam vino, atque adeo non solum non esse necessarium, verum etiam neque conveniens, neque fortasse licitum. Hunc errorem tribuunt Graecis graves auctores, Glossa ordin., 1 Cor. 11; Innocent., lib. 4 de hoc mysterio, cap. 22; Gabriel., lect. 35 in can.; Durand., dist. 11, quaest. 5; Guid. Carmel., lib. de Haeresibus; Castro, eodem lib., Haeres. 7; Prateol., verbo Graeci; Soto, dist. 9, q. 1, art. 6; et Alanus, lib. 4 de Euchar., c. 13, ubi refert ex Nicol. Cavaasil., in exposit. Liturg., aliquos Graecos solitos esse non ante, sed post consecrationem aquam calidam vino miscere. Ego vero apud illum in eo lib., cap. 8, lego, consuetudinem Graecorum esse, ante verba consecrationis infundere in sacrum calicem vinum et aquam, dicendo illa verba: *Et statim exivit sanguis et aqua*, prout habentur in liturgia Chrysostomi. Aliam autem consuetudinem de mitione aquae calidae refert in cap. 37, tanquam caeremoniam quamdam, quae fieri solebat in usu seu communicatione Eucharistiae, ad significandum Spiritus Sancti effectum, qui per illam datur; non ergo videntur Graeci hanc mitionem omisisse. Unde Theoph. Graecus, Joan. 19, circa finem, hunc errorem tribuit

Armenis. Idem Niceph., lib. 1, cap. 53, dicit, Armenos non miscere aquam, ut significant, Christum unius tantum esse naturae; at vero Graecos illam miscere, propter duarum naturarum significationem. Itaque non videtur dubium, quin Graeci aquam vino misceant, ut etiam ex dicto can. 32 Trullano, et Graecis Patribus allegatis et statim citandis, ac denique Concil. Florent. in decreto Eugenii certissimum est; corrigendi ergo sunt dicti auctores; proprium enim errorem Armenorum Graecis simpliciter tribuerunt, ut bene hic Cajetan. notavit. Ad hunc vero errorem accessit Calvinus, solum quia non est in Evangelio expressum, aquam vino esse miscendam. Lutherus vero in formula missae: *Nondum, inquit, mecum constitui miscendane sit aqua vino*, ut refert Sander., lib. 7 Visib. Monarch., ann. 1549. Fundamentum esse potest, quia aqua non est de necessitate sacramenti; cum materia autem sacramenti nihil miscendum est, quod materia non sit, et praesertim in hoc sacramento, ubi materia converti debet in sanguinem Christi.

3. *Sine aqua potest aliquis de facto consecrare.* — Dicendum vero est primo, hanc mitionem non esse ita de necessitate sacramenti, quin si aliquis tentet consecrare in solo vino, vere conficiat et convertat illud in sanguinem Christi. Est certa et communis conclusio D. Thom. hic, et omnium Theologorum cum Mag., dist. 11; Alens., quaest. 32, membr. 5, art. 2, et memb. 6; Innocent., lib. 4, cap. 32; et in eam inclinat Bernard. supra. Et colligitur primo ex Concil. Trident., tota sess. 13, ubi agens de hoc sacramento nihil prorsus de aquae mitione dixit; postea vero sess. 22, agens de sacrificio, solum dixit, Ecclesiam, hanc mitionem praecipisse; indicans eam non esse de necessitate sacramenti, sed esse ritum quemdam ac caeremoniam sacrificii Missae. Favet etiam Concil. Florentinum, in quo primum simpliciter dicitur, materiam esse panem et vinum de vite; postea vero subjungitur: *Cui, scilicet, vino, aqua ante consecrationem misceri debet.* In quo dicendi modo satis significat, hanc caeremoniam non pertinere ad ipsam substantiam materiae sacramenti; et ideo postea praecipit, ut Armeni sese cum universo orbe conforment; unde non eos reprehendit, ac si nihil conficiant, sed solum, quia ab universali consuetudine discordant; et hoc modo interpretatur etiam D. Thom., hic, quoddam dictum Cypriani in citata epist., ubi dicit, eis, qui sine mitione aquae interdum

confecerunt, posse veniam concedi, quia ex ignorantia fecerunt. Quibus verbis indicat, eos quidem confecisse et vere sacrificasse et ex ignorantia a culpa excusari. Unde ibidem subdit, *si vinum sine aqua consecretur, incipere sanguinem Christi esse sine nobis*, id est, sine significatione nostrae sanctificationis; incipit ergo ibi esse sanguis Christi. Ratio vero a priori est, quia Christus Dominus non instituit hanc caeremoniam, ut essentialem; hoc autem ex Ecclesiae traditione et auctoritate habemus, quae simpliciter docet, vinum esse materiam sufficientem. Unde in Evangelio, vini tantum fit mentio in illis verbis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; sed vinum purum est simpliciter vinum; ergo in rigore est sufficiens materia; ergo mistio aquae absolute non est de necessitate sacramenti, et hoc magis ex 3 conclusione constabit. Praeterea congruentia D. Thom. est optima, quia mistio aquae non significat Christum vel sanguinem ejus, qui est potissima res hujus sacramenti, quae ex materia fit virtute formae; sed significat effectum, qui fit in suscipiente per usum hujus sacramenti, scilicet, sanctificationem fidelium, ut Cyprian. dixit; sicut ergo usus et effectus consequens illum, est quid posterius hoc sacramento, quod in facto esse consistit, ita mistio aquae, quae illum significat, essentialis non est.

4. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices: etiam significat haec mistio aquam, quae de latere Christi exivit, quod videtur pertinere ad primariam significationem hujus sacramenti. Et confirmatur; nam Cyprianus inquit, si vinum sine aqua consecretur, significari Christum esse sine nobis, aut nos sine Christo; efficitur ergo falsa significatio sacramenti, quod est contra substantiam ejus. Respondetur illam significationem non esse essentialem, quia neque illa aqua naturalis, quae exivit de latere Christi, erat simpliciter necessaria in corpore vel in sanguine ejus; neque nunc in calice efficitur ex vi verborum illa aqua, quae exivit de latere Christi, sed solum sanguis, ut patet ex verbis formae: *Hic est calix sanguinis mei.* Ad Cyprianum vero respondetur, aliud esse significare unum esse sine alio, aliud vero significare unum, non significando aliud; illud prius potest significationem efficere falsam; hoc vero posterius per se non reddit significationem falsam, sed aliquam omittit; et ita est in presenti; nam, qui consecraret vinum sine aqua, non significaret, posse nos salvari sine Christo, aut Christum

non effudisse sanguinem suum pro nobis; sed significaret ibi esse sanguinem Christi, aliam significationem omittendo. Secus vero esset, si quis tentaret conficere in sola aqua; nam ille significaret, ut Cyprianus ait, nos incipere esse sine Christo, id est, sanctificari sine sanguine Christi. Aliter autem dicitur in sacramento esse sanguis Christi, et aliter dicimur nos ibi esse; ille realiter per conversionem vini in ipsum, nos tantum significatione per mitionem aquae. Et ideo contra substantiam sacramenti est, significare nos ibi esse sine sanguine Christi; non vero, significare sanguinem, non significando nos.

5. *Secunda conclusio.* — Dico secundo, quamvis aqua non sit de necessitate sacramenti, nihilominus conveniens fuisse eam vino misceri ante consecrationem. Conclusio est de fide, ut constat ex Conc. Trullano, Florent., Trident., et Carthag., Aurelian. et Africano supra citatis, et ex Wormaciens., c. 4; Tribur., c. 19; Brachar. III, cap. 4, et ex c. In quadam, et c. Cum Marthae, de Celebrat. missarum, et ex Julio I, cap. Cum omne crimen, de Consecrat., dist. 2, ubi alia decreta referuntur, et ex Alexandro I, epist. 1 decret. Ac denique hoc ipsum ex universali totius Ecclesiae consuetudine et traditione habetur, quae Ecclesiae consuetudo et traditio potissimum est hujus veritatis fundamentum, eamque, praeter dicta omnia, ostendunt Justinus martyr. apol. 2 pro Christianis, circa finem, ubi proponit antiquum Christianorum sacrificandi ritum; Ambrosius, lib. 4 de Sacram., c. 4, circa finem; Isidor., lib. 1 de Offic. eccles., c. 18; Augustinus, tract. 120 in Joan., ubi agens de aqua, quae de latere Christi Domini exivit, inquit: *Aqua illa salutare temperat poculum, aqua illa et lavacrum praestat et potum.* Optime Paschas., lib. de Mysterio sanguinis et corporis Christi, c. 4 et 11; Beda, Marci 14, et Luc. 22; Anselm., Matth. 26; Bernardus, ep. 69; German. Constantinop., in Theoria rerum Ecclesiast., non longe a principio; Samonas, Gazensis Episc., in dialogo cum Achmet. Saraceno; citatur denique Gregor. Nyssen., oratione magna catechet., c. 27, ejus pars est apud Euthymium, 2 part. Panopliae, titul. 21. Rationes seu congruentiae sunt hujusmodi. Prima, quia Christus Dominus ita fecisse creditur, ut patet ex D. Cypriano supra, de qua congruentia plura statim dicemus. Secunda, ad representandum aquam et sanguinem, quae de latere Christi exiverunt, ut Alexander Papa, et Augustinus